



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 196. Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel an aliquid omiserit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Dispensationem ab Horis. R. Hæc pauca: Dispensatio Papæ excusat etiam beneficiatum, licet supponamus eum ex iustitia teneri orare, uti habet communis cum *Gob. in Exp. t. 5. n. 729.* Deinde ubique jam usu reseptum est, ut Episcopus etiam hic cum causa dispenset ad breve tempus, *Tamb. in Dec. l. 2. c. 5. §. 8. n. 24.* Quod etiam de Vicario Episcopii afferit *Gob. n. 714. & 729.*, causa autem est, si dubitetur de morali impotentia orandi. Etiam Superiores Ordinum possunt dispensare cum sibi subditis, *Tamb. Gob. n. 730.* Et specialiter potest Generalis Societatis *JESU*, ac alii, quibus ille committit, commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium seu orationem leviolem, uti refert *Illf. t. 5. n. 42.*

Q. 195. *An & quomodo licitum sit ponere aliquid impossibile cum recitatione Horarum.* R. De hoc videri potest *Gob. in Exp. t. 5. n. 732.* Et cum proportione hic applicanda sunt illa, qua diximus l. 1. à n. 782. & l. 3. p. 2. à n. 1334. 1234

Q. 196. *Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel an aliquid omiserit.* R. Præter illa, quæ habet *Ref. 1. Busenb. n. 1237.* referendus, adde seqq. 1235

§. I. Si nullam habeat conjecturam, quod orarit, debet orare, quia præceptum est in possessione: **E contra qui habet rationem aliquam vel conjecturam, quod dixerit hanc vel illam Horam, malè facit repetendo, quia aperit viam inanibus dubiis & scrupulis, ita cum aliis *Laym. Sanch. in Conf. l. 7. c. 2. d. 34. Illf. T. 5. n. 40.*; quod magis valet de scrupuloso, de quo dicitur à n. 1350.**

§. II. **Causa prudens repetendi Horam aut illius partem non est, quod non meminerit se dixisse, dummodo non meminerit se non dixisse, & habeat** 1236

conjecturam, quòd dixerit, v. g. quia communiter nihil solet omittere aut transilire, non solet orare posteriorem Horam nisi oratâ priore, scit autem se posteriorem orasse, reperit signum, quod ponere solet, quando oravit Horam, scit se incepisse Horam & postea invenit se in fine &c. Ratio est, quia possessio tunc est pro ipso, certus enim est se solere Officium recitare, aut se hoc Officium recitasse, incertus, an partem omiserit, sed cùm communiter non transiliat Horam nec aliquid omittat, prudenter supponit se nec jam transiluisse vel omisisse, ita *Nav. Az. Suar. Fill. Bonac. de Horis d. I. q. 6. p. 3. n. 12. Tamb in Dec. l. 2. c. 5. §. 3. n. 9.*, unde etiam *Nav. Bonart. Sanctb. supra, Laym. l. 4. T. 1. c. 5. n. 11. Gob. in Exp. t. 5. n. 621. Ills. supra, Burgh. cent. 3. cas. 63. Pelliz T. 1. Tr. 5. c. 8. n. 99.* dicunt talem malè facere, si repetat, ob rationem antè datam. Addunt *Tamb. & Gob.* circa omissionem partis, quamvis haberet rationem probabilem judicandi se omisisse talem partem, adhuc tamen non teneri repetere, nisi moraliter certò constet, quòd omiserit, quia ratio illa, quòd quando incepit, communiter non omittat, prævalet omni alteri contrariæ rationi, quæ sit probabilis tantùm, secundùm illam regulam, quòd ex communiter contingentibus sit prudens præsumptio.

1237

ARTICULUS IV.

Quomodo recitanda sint Hora.

“**R** Esp. In recitatione Horarum sequentes circumstantiæ sunt servandæ. I. Ut recitentur juxta præscriptum Breviarii Romani, jussu Pii V. edicti, saltem publicè. Excipe Religiosos, qui habent peculiare